

DE BREVITATE QUINTILIANEA.

Inter praeclarissima antiquitatis romanae monumenta certe numerandum est M. Fabii Quintiliani opus de institutione oratoria, ita conscriptum, ut non minus praecellat genere dicendi quam rerum varietate. Praestat enim sermo Fabianus iis virtutibus, quae propriae sunt orationis ad docendum compositae. Nam si eum, qui disciplinae cuiusdam leges atque initia perscribit, et dilucide et breviter dicere convenit, atque orationem magis ad docendum quam ad oblectandum componere, hac in re Quintilianum omnium maxime elaborasse quisque fatebitur. Est enim simplex eius oratio et perspicua et insignis studio brevitatis. Qua quidem brevitate cum magna ex parte continetur sermonis Fabiani proprietas, persequi eam et de natura eius accuratius disserire mihi proposui. Illa autem duplex est: pertinet enim cum ad verborum structuras tum ad universam eloquendi rationem. Ab illo genere ut exordiamur, primum adiectiva et participia omnino vice funguntur substantivorum. Quae dicendi ratio etsi apud Ciceronem quoque et aequales eius invenitur, tam late tamen non patet, quandoquidem non omnia adiectiva ita usurpantur, sed nonnisi gentilia et alia quaedam, ut amicus, inimicus, adversarius, familiaris, necessarius, sapiens, liber, mathematicus, dialeticus, physicus, reliquis autem adiici solent substantiva, quae nisi in plurali numero non desiderantur. Ita Cic. de orat. II, 74. quidam doctus homo atque in primis eruditus. Cic. Tusc. II, 22. C. Marius vir rusticus. Cic. de fin. II, 25. Multa sunt dicta ab antiquis de contempnendis ac despiciendis rebus humanis. Cic. Muren. 7. hominibus litteratis et historicis. Cic. in Vatin. 5. nobilium hominum vitia innotescunt omnibus. Cic. Tusc. V, 10. omnes bonos semper beatos volumus esse. Cic. de legib. I, 19. Erubescunt pudici impudica loqui. — In neutro genere omnia adiectiva in substantivorum locum succedunt, neque tamen in casibus obliquis, nisi subsequente pronomine relativo vel voce opposita vel alia ratione neutro genere illa accipienda esse perspiciatur. Cic. de fin. III, 6. eorum autem, quae sunt prima naturae. De offic. II, 10. erat igitur ex tribus, quae ad gloriam pertinerent. De fin. I, 19. Nam et praeterita

grate meminit et praesentibus ita potitur. — Quintilianus, ad leges illas non respiciens, adiectivis sine ullo discrimine et respectu vel generis vel numeri vel casum substantivorum instar utitur, ita ut alia adiectiva aliis adiungantur, et aliorum nominum genitivi ex iis pendeant. V, 10, 15. Debet enim nota esse recte argumenta tractaturo vis et natura omnium rerum. IV, 1, 47. Declamatur autem maxime positas in affectibus causas propriis personis debet induere. V, 10, 47. cum obiicitur reo lenocinii, quod speciosam adulterii damnatam quandam emerit. V, 10, 58. Proprium autem est, aut quod soli (i. e. soli cuidam rei) accidit, ut homini sermo, risus, aut quod utique accidit, sed non soli, ut igni calefacere. V, 11, 34. analogiam quidam a simili separaverunt. IV, 2, 61. Quid enim in plerisque iudiciis privatis de certa credita, locato et conducto habere loci potest supra modum se tollens oratio? V, 14, 14. epichirema autem nullo differt a syllogismis. XI, 1, 8. quod decet, fere prodest; neque alio magis animi indicum conciliari aut — alienari solent. XI, 1, 13. Plurima vero mutatione figuramus, Scio, Non ignoro. — Sed etiam ex proximo mutuari licet, i. e. verbis quae eadem non significant, sed in quibus est levis significationis differentia. VI. prooem. 14. qui unicum adversorum solatum litteras putaverunt. V, 10, 18. sunt eiusdem rei plura propria. V, 10, 49. Quorum contraria diversum valent. V, 10, 75. est enim consequens sapientiae bonitas.

Deinde ut adiectiva obtinent locum substantivorum, ita adverbia adiectivorum instar adiiciuntur substantivis. Quae dicendi ratio cum propria est poetis, tum apud scriptores aureae quae dicitur aetatis raro invenitur. Nam nisi substantiis verbalibus vel iis, quorum nisi forma tamen ratio est eadem, adverbia non attribuuntur. Ita Cic. ad Attic. XIII, 50. obviam itio. Verr. II, 64. §. 156. publice testis. Liv. VI, 2, 12. Minime largitor dux. — Quintilianus ut alia ita hanc structuram admittit audacius. V, 9, 14. Fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem dixerit mollis et parum viri signa. IV, 2, 18. discutiendi alicuius extrinsecus criminis. IV, 1, 22. Nam et minari et deferre etiam non orator potest. (cf. V, 12, 19. IV, 1, 73.) VII, 6, 11. audaci et proxime periculum translatione.

Praecipue autem ad hoc genus brevitatis spectat usus praepositionum. Accidit enim saepissime, ut duo substantiva praepositione aliqua inter se copulentur, sive ut praepositio cum casu suo adiiciatur substantivo cuidam accuratius significando. Quod genus dicendi Graecis eo frequentius est, quod praepositio cum casu suo inter articulum et substantivum ei adiunctum interponitur, ut $\eta\ \dot{\epsilon}\pi'\ \mathcal{A}n\tau\alpha\lambda\pi\delta\sigma\ \varepsilon\iota\varphi\gamma\eta$. Apud Latinos prioribus quidem temporibus usus ille certis quibusdam legibus terminatur. Primum enim etiam a Cicerone ita usurpantur cum, sine; in, erga, adversus, contra, pro, si declaratur iis, quo spectet actio vel cogitatio aliqua; de, ex, inter, si vice funguntur genitivi partitivi; inter subsequentे pronomine se vel ipsos; de, quoties idem valet, quod super, de et ex, si originem alicuius rei indicant, vel materiam, unde facta est; in cum ablativo, ita ut conditio significetur alicuius rei; denique ad et apud, antece-

dentibus locorum nominibus, vel certis quibusdam substantivis, qualia sunt pugna, victoria, castra. Ita Cic. pro Deiot. 3, 9. cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? Verr. II, 47. Vidi argenteum Cupidinem cum lampade. De fin. I, 19, 66. solitudo et vita sine amicis. Ad divers. I, 2, 1. senatum commemoratione tuae voluntatis erga illum ordinem commovimus. Tusc. I, 34. Callimachi epigramma in Ambraciotam Cleombrotum. pro Deiot. 4, 11. nihil audiebat de conspiratione certorum hominum contra dignitatem tuam. Liv. IV, 26. pravitas consulum discordiae inter ipsos. Cic. ad divers. II, 19. tuae litterae de tua praesertim dignitate et de nostra coniunctione maximi sunt apud me ponderis. Brut. 34. accusator de plebe. Verr. IV, 29. monile, ut opinor, ex auro et gemmis. de natur. deor. I, 13, 34. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides. Tusc. V, 34, 99. Adde societatem, quae consequitur hanc continentiam in victu. Liv. VIII, 5. Non venit in mentem pugnae apud Regillum lacum? XXIII, 11. nuntius victoriae ad Cannas Carthaginem venerat Mago. XXX, 44. legati a Magnesia ad Sipylum.

Altera huius structurae ratio est, ut praepositio cum casu suo aut iniiciatur inter substantivum et attributum eius, aut ante substantivum, ad quod pertinet, ponatur. Cic. ad Attic. VII, 21. Mittam illa, fugam ab urbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones. Liv. IV, 32. caudem in pace Fidenatum colonorum. Liv. IV, 22. intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas, clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit. Cic. pro Milon. 19, 49. nocturnus ad urbem adventus. Cic. acad. I, 4. omnes ante Socratem philosophi. Cic. Brut. 3. Marcelli ad Nolam proelio. Cic. ad Attic. II, 12, 1. in Epirum invitatio. Cic. Sext. 63. domum reditus erant eiusmodi.

Denique locum habet illa structura, quoties diversae res commemorantur, vel plures praepositiones cum substantiis deinceps componuntur. Cic. agr. I, 22. Capuam et urbes circa Capuam occuparunt. Cic. Catil. IV, 7, 14. plenum est forum, plena templa circa forum. Liv. XLI, 1. duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent. Cic. Philipp. I, 3, 7. veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur.

Quibus exemplis etsi satis probatur ne elegantissimos quidem scriptores ab illa dicendi ratione abhorruisse, tamen negari nequit eos frequentius usos esse vel sententiis relativis vel participiis. Quintilianus, ut ad eum redeamus, illam usurpandi praepositiones rationem adeo amplectitur, ut plerumque ita dicere soleat. Quare haud rara sunt exempla, sed ubique fere inveniuntur. V, 8, 1. gustu cuiusdam apud Loto-phagos graminis. V, 12, 13. illae firmiores ex sua cuiusque persona probationes. VI, 3, 61. illa ex simili translatio. VI, 3, 71. aliqua ex nobis adiectio. VI, 4, 4. solis extra artem probationibus. VIII, 6, 1. Tropus est verbi vel sermonis a propria significacione in aliam cum virtute mutatio. IX, 1, 11. aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio. I, 10, 14. Romana in bellis gloria. VIII, 5, 6. translatio a communi ad proprium. IX, 1, 4. figura est conformatio quaedam a communi et primum se afferente ratione.

Praeterea non minus brevitatis studium inde appareat, quod haud raro conjunctiones desiderantur, et copulativa et adversativa. Ita VI, 4, 4. quaestionem finitionis, actionis plerumque satis explicat (sc. oratio). VI. prooem. 12. Tuum corpus frigidum, exsangue complexus. VI, 1, 53. in aliis autem partibus tractandus affectus erit, ut quisque nascetur; cum de qualitate alicuius rei quaestio est, probationibus uniuscuiusque rei subiungitur. VIII. prooem. 13. a se disertos visos esse multos, eloquentem neminem. VIII, 3, 6. nec effeminatam levitatem et fuso mentitum colorem amet (sc. orator); sanguine et viribus niteat. X, 1, 98. Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur. — Etiam fieri solet, ut duo adiectiva substantivo cuidam attributa neque particula inter se copulentur, neque ipso substantivo, id quod fieri solet apud elegantiores scriptores, dirimantur. I, 5, 58. confusis quoque graecis utimur verbis. X, 7, 1. innumerabiles accidunt subitae necessitates. — Non minus denique quam copulativae particulae omituntur causales et conditionales et concessivae. IX, 4, 5. cur vites coercemus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidimus? terra et hos generat; mansuetacimus animalia? indomita nascuntur. IX, 4, 14. Denique quod cuique visum erit vehementer, dulciter, speciose dictum, solvat et turbet; abierit omnis vis, incunditas, decor. XI, 3, 176. intra se quisque vel hoc vel aliud, quod volet, per omnes affectus verset: verum esse, quod dicimus, sciet. XII, 10, 36. subtilitate vincimur, valeamus pudore. Proprietas penes illos est certior: copia vincamus. IX, 4, 63. sit composita ipsa (sc. clausula): gratiam perdet, si ad eam rupta via venerimus.

Syntaxin vero consequentibus alia et multa quidem nobis se offerunt, quae hic pertinent. Primum enim proprium est Fabiani sermonis, ut sententiae certum aliquod vel voce declaratum subiectum desiderent. Cuius rei duplex est ratio. Nam aut longius subiectum repetitur, id quod eo magis offendit, si ad alias res iam deflexit oratio, aut ἀπὸ ζωνοῦ intelligitur, ita ut vox subaudiatur, ut cuique sententiae convenit. Multis haec res probatur exemplis, quorum pauca afferre sufficiat. V, 10, 40. circa facti controversiam praestant argumenta, circa iuris lites materiam quaestioneis (sc. haec et similia, quae verba supplenda sunt ex §. 38.). V, 10, 107. qui patri proditionis reo non affuerit, exheres sit. Negat (sc. filius), nisi si pater absolutus sit. V, 12, 3. Caedes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti. Non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur (sc. reus). VI, 1, 14. concitare quoque invidiam, odium, iram liberius in peroratione contingit: quorum invidiam gratia, odium turpitudo, iram offensio iudici facit, si contumax, arrogans, securus sit (sc. reus). IV, 1, 22. Quod si necessitas exigit, non erit iam ex arte oratoria, non magis quam appellare aut antequam pronuntiat (sc. iudex) reum facere. V, 14, 32. non inspiret, non augeat, non mille figuris variet ac verset? (sc. eloquentia.) VII. praef. 2. licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen (sc. orator). — cf. X, 1, 7. X, 2, 24.

Haec autem incuria facit, ut subiectum interdum omnino relinquatur in ambiguo. Ita V, 12, 19. libidinem iuvet ipsum effeminati sexus mendacium, nunquam tamen hoc contingat malis moribus regnum, ut si qua pretiosa fecit, fecerit et bona. — Incertum est, utrum libido an mendacium an regnum ad fecit et fecerit sit subaudiendum. IX, 3, 4. qua si quis parce et cum res posset, utetur, velut asperso quodam condimento iucundior erit. — Non liquet, utrum orator an oratio an figura sit subiectum. cf. X, 1, 7. — Accidit etiam, ut mutato numero idem nomen, quod praecessit singulatiter, subinde pluraliter sit supplendum. II, 4, 17. dum stat acies, multi res consilii atque artis est, ut errantem adversarium trahas. — Instant enim (sc. adversarii).

Denique subiectum haud raro continetur integris sententiis, quae locum obtinent substantivorum verbalium, etsi pronomine demonstrativo non inducuntur. Nec solum illae breviter comprehenduntur, sed longius etiam continuantur. IV, 2, 12. Non occidi hominem, nulla narratio est. V, 11, 34. ut unum ad decem, sic decem ad centum, certe simile est. V, 14, 19. Prioris autem partis duxit ordinem: Insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex? VIII, 2, 13. Taurus animal sit an mons, an signum in coelo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. V, 14, 26. si pecunia, quae est in argento signato, argentum est; qui argentum omne legavit, et pecuniam, quae est in argento signato, legavit: argentum autem omne legavit, igitur et pecuniam, quae est in argento, legavit: habebit formam syllogismi. cf. III, 6, 74, 75, 76.

Ad casus autem ut respiciamus, duo genitivi componuntur, quorum alter ex altero pendet; vel duo genitivi coniunguntur cum eodem substantivo. VI, 1, 9. reus de indignitate calumniae conspirationis vehementius interim queritur. VI, 3, 108. honorifici ponit exemplum Ciceronis, quod est pro Ligario apud Caesarem. — Praecipue offendit genitivus, qui nominativi instar ponitur, pendens ab substantivo quodam subaudiendo. III, 10, 4. adiecerunt quidam mutuam accusationem, quae ἀντικατηγορία vocatur, — cui similis est petitionum invicem diversarum. III, 6, 88. Sic nascuntur haec velut simulacula ex illis tribus, interim simplicia, interim et mixta, propriam tamen faciem ostendentia, ut scripti et voluntatis. cf. III, 6, 46. — Praeterea huc pertinet ille genitivus, cuius ratio est, ut duorum substantivorum alterum, quod alteri accuratius explicando adiicitur, non in eodem quo illud casu, sed in genitivo ponatur. III, 5, 1. facultas orandi consummatur natura, arte, exercitatione: cui quartam partem adiecerunt quidam imitationis.

Dativus autem inservit brevitati ita, ut loco praepositionis a cum ablativo primum adiiciatur verbis passivis, nec solum in praeteritis, sed in omnibus temporibus, deinde iis verbis et adiectivis, in quibus inest notio discrepaniae. I, 6, 22. cum ebur et robur, ita dicta ac scripta summis auctoribus, in o litteram secundae syllabae transferunt. VII, 2, 53. cui id factum dicitur. VIII, 3, 58. de hac parte et in alio nobis opere plenius dictum est. I, 7, 12. iudici aliam probationem desiderari. VI, 2, 15.

εἰρωνεῖα, quae diversum ei, quod dicit, intellectum petit. (cf. VI, 2, 20. VI, 3, 1. VII, 2, 25. IX, 2, 15.) XII, 10, 1. plurimum tamen invicem differunt, nec solum specie, ut signum signo, et tabula tabulae et actio actioni, sed genere ipso, ut Graecis Tuscanicae statuae, ut Asianus eloquens Attico. — Accidit etiam, ut hic casus copuletur cum substantivis verbalibus, quae structura, Graecis frequentior, a Latinis adhiberi non solet, nisi substantivo, ex quo pendet dativus, verbum adiungitur. Ita Sallust. Catil. 40. miseriis suis remedium mortem expetere. Apud Fabium IX, 3, 90. sibi ipsi responsio.

Denique pauca commemoranda sunt de ablativo. Praeterquam enim quod saepe ante eum desideratur praepositio, audacius etiam adhibetur ad causam declarandam. V, 13, 3. accusator criminum invidia — materiam dicendi trahit. IX, 4, 20. verba verbis trahunt. IX, 4, 78. Anacreontion protinus colon efficias et si velis trimetron et quod duobus pedibus et parte πενθημέρῃς a Graecis dicitur. cf. §. 80. — Deinde in comparationibus adhibetur hic casus pro particulis quam ut, subsequente integra sententia. I, 2, 28. Nam maiora intellectu — animos non subibunt. III, 6, 70. Non debes apud praetorem petere fidei commissum, sed apud consules: maior enim practoria cognitione summa est.

Haec de casibus. Pariter continetur dicendi brevitas infinitivi structuris, magis minusve a vulgari dicendi ratione discedentibus. Primum enim adiicitur infinitivus adiectivis qualitatis, id quod fieri solet apud poetas. VII, 1, 26. Itaque cogitemus, quid naturale sit primum responderi. VIII, 3, 47. nihil loqui tutum est. X, 1, 96. At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. — Deinde explicandi causa substantivis apponitur. VII, 1, 34. quae res autem faciliorem divisioni viam praestat, eadem inventioni quoque: excutere quidquid dici potest. — Praeterea adiungitur verbis, quae post se recipere solent particulam aliquam cum coniunctivo. III, 8, 58. breviores utique commentarios — facere elaborarunt. II, 5, 23. suaserim et antiquos legere et novos. IX, 1, 20. simulanti variantique conatus, in latera atque in terga incurrere datur. — Huc accedit illa apud infinitivum attractio, sive nominativus cum infinitivo, propterea commemorandus, quod pertinet etiam ad ea verba, quae Ciceronis quidem aetate hanc structuram minus recipere solebant. Invenitur autem apud activa et passiva. III, 6, 63. Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulati — in ulla parte iudicii mei. X, 1, 97. qui esse docti affectant. IX, 4, 57. Ego certe — posco hoc mihi, ut cum pro composito dixerim numerum, — oratorium dicere intelligar. I, 10, 33. ficta materia, in qua ponitur tibicen — accusari. III, 6, 12. totis viribus insidiator Clodius ideoque iure imperfectus ostenditur. — Denique haud raro desideratur subiectum accusativi cum infinitivo, ita ut non solum pronomen aliquod personale sed etiam demonstrativum subaudiatur. VII, 1, 3. Nam qui non potest dicere nihil fecisse, proximum habebit, ut dicat non id fecisse, quod obiciatur. VII, 1, 60. temptabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse suorum restitutionem. VI, 3, 87. Interrogatus, quid sentiret

de eo, qui in adulterio deprehensus esset, tardum fuisse respondit. VI, 1, 35. Fuit quondam inter haec omnia potentissimum, quo L. Morenam Cicero — eripuisse — vindetur, persuasitque nihil esse ad praesentem rerum statum utilius, quam pridie Calendas Ianuarias ingredi (sc. illum) consulatum.

Huic generi constructionum adnumerandi sunt ablativi absoluti, quibus continetur subiectum, quod diversum non est a subiecto verbi finiti. Quae structura legitima est apud accusativum cum infinitivo. Cic. in Pison. 10. Quid? tu in lictoribus, in toga et praetexta esse consulatum putas? quae ornamenta etiam in Sex. Clodio te consule esse voluisti. Caes. b. c. 29. Galliam Italiisque tentari se absente nollebat. — Ita Quint. XI, 1, 28. Fuisset tumidius, si accipendum criminis loco negasset Cicero, Equitis Romani esse filium, se defendantem. — A vulgari autem ratione recedit, quod legitur VIII, 2, 2. Ille, qui in actione Ibericas herbas, se solo nec quidquam intelligente dicebat, nisi Severus spartum eum dicere velle indicasset.

Reliquum est, ut afferamus ea, quae pertinent ad sententias relativas. Inde brevitatis studium vario modo perspicitur. Primum enim pronomen demonstrativum, quod praecedere debebat relativo, tametsi casus diversi sunt, saepe desideratur. VIII, 3, 24. admirabilem faciunt orationem (sc. verba), quibus non quilibet fuerit usurpus. VII, 10, 14. haec in oratione praestabit, cui omnia affuerint, natura, doctrina. — Haec ratio dicendi frequens est, offendit tamen eo, quod haud raro particula aliqua pertinet ad demonstrativum subaudiendum, quae ita applicat se ad sententiam relativam, ut haec substantivi instar vel subiecti vel obiecti locum obtineat. V, 10, 79. est invicem consequens et quod ex diversis idem ostendit. V, 10, 101. plurimi — omnem etiam quem ex ingenio suo poterant habere conatum, perdidérunt. XI, 1, 82. Scholastica materia, sed non, quae non possit accidere. — Idem accidit, si per attractionem in sententiam relativam recipitur substantivum, ad quod pertinet illa, vel si obiectum, quod subest sententiae relativae, et ipsum relativo pronomine continetur. VIII, 4, 15. Quas dixi per ratiocinationem fieri amplificationes viderimus, an satis proprio verbo significaverim. VIII, 5, 17. Ut pro Spatale Crispus, quam qui heredem constituerat, decessit, cum haberet annos duodeviginti: o hominem divinum. — Deinde fieri solet, ut praepositio aliqua ad pronomen demonstrativum, quod desideratur, pertinens coniungatur cum relativo. III, 8, 59. propter quas dixi supra causas. IV, 2, 92. respondere ad quae interrogatur. — Huic generi attractionis affinis est ea ratio, qua pronomen interrogativum vim obtinet indefiniti, etiam si refertur ad praecedens aliquod adjективum vel verbum. VII, 3, 52. codicilli, dubium ad quem scripti. — Denique duas interrogations coalescunt, ita ut pronomen interrogativum sine copulandi particula iteretur. VII, 9, 7. dubium est, quid quo referri oporteat. IX, 4, 44. plurimum refert compositionis, quae quibus anteponas. IX, 4, 117. Num in quem (sc. eam) transeamus ex quo, praecipi potest?

Haec de brevitate grammatica. Sequitur alterum genus, quod pertinet ad elocutionem, quae quidem talis est, ut paucis verbis quam plurima comprehendantur. Abest enim omne studium orationis amplificandae neque congeruntur verba vel sensus idem significantes. Densus autem et brevis cum omnino est Fabius, tum praeceps in rebus perscrutandis et distinguendis adeo, ut multa, quae animo eius obversantur, breviter tantummodo significet vel prorsus subaudienda lectoribus relinquat. Duae igitur huius brevitatis sunt species, quarum altera pressa omnino et concisa, altera parum expleta oratione continetur. — Densatur autem oratio praeceps usu et frequentia participiorum. Desideratur enim illa subtilitas, qua distinguuntur a participiis sententiae relativae. Nam apud elegantiores quidem scriptores fieri solet, ut locum habeat sententia relativa, si antecedens subiectum ab aliis sive personis sive rebus distinguitur. Neque interest quidquam, utrum illi pronomen demonstrativum adiiciatur nec ne. Ita Cic. de divin. I, 10. idque (sc. caput) inventum est eo loco, qui esset ab haruspicibus demonstratus. Cic. Verr. IV, 25. Filius enim L. Pisonis erat, eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Caesar b. g. V, 41. Tunc duces principesque Nerviorum, qui aliquem sermonis aditum causamque amicitiae cum Cicerone habebant, colloqui sese velle dicunt. — Distinguuntur autem nomina, ad quae referuntur sententiae relativae, eo ipso, quod opponuntur aut inter se, aut aliis ex orationis contextu subaudiendis. Cic. part. orat. 22. Nam quae (sc. virtus) venientibus malis obstat, fortitudo; quae quod iam adest tolerat et perfert, patientia nominatur. Cic. Brut. 23. multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam is, qui doceat. Cic. orat. 21. quod (i. e. decorum) positum est in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. Caes. b. g. IV, 30. principes Britanniae, qui post proelium factum ad ea, quae iusserat Caesar, facienda convenerant. Cic. Brut. 24. quod iis, qui limatus dicendi consequantur genus, accidere non solet. — Inde sequitur, ut iis nominibus, in quibus inest vis numerandi vel dividendi, adiificantur sententiae relativae. Cic. pro Cluent. 27. Quinque omnino fuerunt, qui illum vestrum innocentem Oppianicum — absolverent. Cic. Verr. IV, 53. In ea sunt aedes sacrae complures, sed duae, quae longe ceteris antecellunt. Cic. de amicit. 8. Nihil est enim amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum. — Praeterea usurpari solet sententia relativa, si id, quod proprium est praecedentis subiecti, explicatur. Caes. b. g. V, 7. Corus ventus — qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consuevit. Cic. Tusc. I, 49. profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano. Cie. pro lege Manil. 4. hae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt (sc. Pompeium).

Hoc discrimen a Fabio servatum non esse, sed in sermone eius participia praevalere, facile qui cum eo contraxerit familiaritatem intelliget. Pauca tantummodo exempla ut afferam, ille II, 5, 2. Pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. VII, 2, 54. Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere. Contra

Cicero de orator. II, 17. eum, qui orator esset futurus. De off. I, 25. qui reipublicae praefuturi sunt. — IX, 2, 92. Confinia sunt his celebrata apud Graecos schemata. X, 1, 74. Theopompus his proximus, ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis. X, 7, 2. stabitne (sc. orator) mutus, et salutarem potentibus vocem, statim, si non succurratur, peritulis, moras et secessum et silentium quaeret? XI, 1, 44. apud disceptatorem de re levissima sedens dicturus. VIII, 3, 11. ornatus pro materiae genere decet variatus. X, 1, 16. Alia vero audientes, alia legentes magis adiuvant. VIII, 3, 44. mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est (ut ductare exercitus et patrare bella), apud Salustum dicta sancte et antique, ridentibus, si diis placet; quam culpam non scribentium quidem iudico, sed legentium; tamen vitanda, quatenus verba honesta moribus perdidimus. VI, 5, 3. Nec multum a iudicio credo distare consilium, nisi quod illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus. — XI, 3, 157. Mira — auditurum dicturi cura delectat. XII, 10, 17. orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturae videntur. IX, 2, 46. ideo dictus εἰρηνή, agens imperitum et admiratorem aliorum tanquam sapientium.

Eadem est ratio adiectivorum, quae pariter atque participia ponuntur pro sententiis relativis. IX, 3, 64. Quamvis enim pars bello posterior (i. e. ea pars, quae sequitur vocem bellum) participio insistet. IX, 3, 12. Haec quoque est (sc. figura), quam ἐπέρωσιν vocant, cui non dissimilis ἔξαλλαγή dicitur. IX, 3, 50. hoc autem exemplum et superius aliam quoque efficiunt figuram, quae — dissolutio vocatur: apta, cum quid instantius dicimus. X, 1, 17. vox et actio decora, commoda, ut quisque locus postulabit, pronuntiandi, vel potentissima in dicendo, ratio.

Deinde participia usurpantur pro substantiis verbalibus vel pro integris sententiis, particularum sive temporalium sive finalium usu formati. Prooem. I. Post impetratam studiis meis quietem. V, 10, 87. qui ob rem iudicandam pecuniam accepit et ob dicendum falsum testimonium accipiet. — Quae structura legitima est et frequens, a Cicerone autem ita adhiberi solet, ut participium ponatur nonnisi in casu obliquo. Quintilianus a nominativo non abhorret. Prooem. 5. Nec aliter, quam si mihi tradatur educandus orator. IX, 3, 58. una est (sc. figura) — cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur. IX, 4, 117. Figura laboranti compositioni variata saepe succurrit. — Ad hanc rationem proxime accedit illud, quod particulae tanquam, quasi, ut, velut copulantur non minus cum participio quam cum coniunctivo. IX, 2, 82. tanquam illum concium in tormentis nominaturus. IV, 2, 31. rei factae aut ut factae expositio. VI, 1, 2. nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriae iudicum diffidentis. IX, 2, 61. Cicero — velut hoc in memoriam inductus adiecit. XI, 2, 25. ut meminerimus omnium quasi depositorum. — Praeterea non dubitat Fabius ablativos absolutos formare e duobus participiis vel ex nomine aliquo et participio futuri activi. III, 8, 21. Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari etiam detractis sequentibus possit. XII, 10, 73. corruptum dicendi genus, quod casuris, si leviter ex-

cutiantur, flosculis nitet. — Denique fieri solet, ut participium futuri activi in interrogatione figurata vim habeat conditionalem, vel locum obtineat infinitivi fore subsequente particula ut. I, 12, 18. facile persuadebit sibi, ut tempora — geometriae potius ac musicae impendat, quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus. VII, 4, 18. plurimum valet ex ipso, qui reus est, haec tria in vita praecedere, si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri et in aliquo usu futuri.

Praeterquam autem quod in adhibendis participiis vulgaris dicendi ratio non servatur, haud raro illa cumulantur. IX, 3, 54. Fons quidem unus, quia acriora facit et instantiora, quae dicimus, et vim quandam prae se ferentia velut saepius erumpentis affectus. IX, 4, 7. Ceterum quanto vehementior fluminum cursus est, prono alveo ac nullas moras obiiciente, quam inter obstantia saxa, fractis aquis ac reluctantibus, tanto, quae connexa est et totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. — Contra accidit, ut ponatur praepositio cum substantivo, ubi plenus dicenti adiiciendum erat participium, vel oratio aliter formanda. VIII, 2, 18. in hoc malum a quibusdam etiam laboratur. III, 7, 16. Utra sit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus. cf. IV, 2, 101. VIII, 2, 22. diximus in praecepsis narrationis. X, 2, 2. rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur.

Participiis affinis est apposito ea praecipue, quae adiicitur integris sententiis, quam elegantiores quidem scriptores eo quod sententiis relativis utuntur vitare solent. Nam a Cicerone non usurpatur illa, nisi res cum emphasi quadam proferuntur. Ita Cic. ad Attic. I, 17. Nam ut illi audenter hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio, confessio temeritatis. Cic. de offic. III, 1, 1. P. Scipionem dicere solitum scripsit Cato — nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna. — Quintilianus hac dicendi ratione, etsi non ita saepe utitur, tamen omnino non abstinet. VIII, 3, 56. Denique *καχόςηλον* vocatur, quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium iudicio caret et specie boni fallitur: omnium in eloquentia vitorum pessimum. XI, 1, 71. Haec est profecto ratio et, certissimum praceptorum genus, illius viri observatio, ut, cum aliiquid detrahere salva gratia velis, concedas alia omnia. V, 14, 31. Nam quid illa miserius lege — propositio ac conclusio ex consequentibus ac repugnantibus? II, 13, 1. Nemo autem a me exigat id praecceptorum genus — ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: utique prooemium et id quale; proxima huic narratio; quae lex deinde narrandi; propositio post hanc vel, ut quibusdam placuit, excursio. —

Praecipue autem sententiae breviter comprehenduntur in rebus comparandis, id quod fit saepe audacius. Accidit enim, ut altero comparationis membro id significetur, quod duabus rebus commune est, altero autem tantummodo conditio, qua commune esse possit. I, 4, 11. Quaeret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se

ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram frangat. — Deinde ad totum transfertur, quod valet nonnisi ad partem. I, 7, 25. Quid dicam vortices et versus ceteraque ad eundem modum, quae primus Scipio Africanus in E litteram secundam vertisse dicitur. — Pariter rebus, quae comparantur, id attribuitur, quod proprium est personarum, ad quas pertinent. V, 10, 114. Inveniendum contra est, quo distet haec causa a ceteris, quae in potestatem victoris venirent (i. e. a causis ceterorum, qui —). — Denique alterum comparationis membrum non expletum sed ita compositum est, ut aliqua subaudiantur. IV, 2, 116. Ego vero — narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia et venere exornandam puto. IX, 1, 11. altero (sc. modo), quo proprio schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio: sicut nos sedemus, incubimus, respicimus, i. e. sicut nos a recto corporis statu, cuius eadem ratio est, quae est vulgaris et simplicis orationis formae, declinamus ad positus consulto deflexos, in quibus est sedere, incumbere, respicere.

Transeamus autem ad alteram huius brevitatis speciem, quae ad orationem parum expletam, sive ad ellipses pertinet. Etenim tam intentus est animus scriptoris ad res perscribendas et tam frequentes ei veniunt cogitationes, ut sermo haud raro iustum verborum numerum desideret, id quod cum omnium scriptorum commune est, tum apud Quintilianum frequens et audax. Sunt autem ellipses et verborum et sententiarum. Ut de illo genere primum disseramus, saepius ad adiectivum aliquod vel pronomen supplendum est substantivum, quod accuratius scribenti non omittendum erat. V, 2, 1. cum de eadem causa pronuntiatum est, ut in reis deportatis et assertione secunda et partibus centumviralium (sc. iudiciorum). IX, 2, 37. Ut in T. Livii primo statim. V, 11, 31. contrariorum quoque aliter accipi opposita, ut noctem luci; aliter noxia, ut frigidam (sc. aquam) febri. VII, 5, 3. Ignominioso (sc. patri abdicanti) filius praescribit. VIII, 3, 14. An non pudeat certam creditam (sc. summam) periodis postulare? V, 10, 105. Et illa (sc. controversia), in qua lex est. VI, 1, 4. Illa vero (sc. figura) iucundissima. — Praecipue autem pronomen demonstrativum, id quod liceat hoc loco commemorare, ita usurpatur, ut significet ea, quae in praesentia valent. II, 5, 22. Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: — alterum — ne recentis huius luxuria flosculis capti voluptate prava deliniantur. §. 23. noster hic cultus clarus enitescit. II, 6, 3. Si qui vero paulo sunt vivaciores in his praesertim moribus. IX, 4, 4. Neque enim locuti sunt ad hanc regulam et diligentiam. — Deinde substantivum semel positum est, quod bis erat ponendum. II, 17, 3. quis est adeo non ab eruditio modo sed a sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem et tenendi et eluto vasa ducendi artem putet? VII, 7, 2. ut si optio tyrannicidae et viri fortis comparentur.

Praeterea hue spectat synesis, quae dicitur, sive illa ratio, qua loco praecedentis substantivi aliud ex orationis contexto intelligitur, quod idem vel simile aliiquid signi-

ficat, sed genere et numero diversum est. VIII, 6, 37. *μετάληψις* i. e. transmutatio, quae ex alio tropo in aliud velut viam praestat: et rarissimus et maxime improprius, Graecis tamen frequentior (sc. tropus). X, 1, 105. Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possint. Nam Ciceronem cuicunque eorum (i. e. Graecorum) fortiter opposuerim. IX, 2, 79. Itaque non solum, si persona obstaret rectae orationi, — decurrebant ad schemata, sed faciebant illis locum etiam, ubi inutiles ac nefariae essent (sc. figure). cf. X, 1, 28, 29. V, 10, 51. Facultati autem licet instrumentum coniungere; sunt enim (sc. instrumenta) in parte facultatis et copiae. I, 2, 28. Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus vel etiam instillatis (sc. humoribus) complentur. IX, 3, 3—4. Esset enim orationis schema vitium, si non peteretur, sed accideret. Verum auctoritate defenditur. — Ideoque cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa (sc. figura), virtus est.

Denique fieri solet, ut variae rerum explicandarum species propria careant appellatione nec nisi pronomine significantur demonstrativo, vel adiectivo, subsequente aut sententia relativa aut exemplo, quod spectat ad speciem, quae intelligitur. Ita in perlustrandis figuris. IX, 3, 71—73. elegantius, quod est positum in distinguenda rei proprietate: Hanc rei publicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. — Et quae praepositionibus in contrarium mutantur: Non emissus ex urbe, sed immisus in urbem esse videatur. — Melius atque acrius, quod cum figura iucundum est, tum etiam sensu valet, Emit morte immortalitatem. — Illa leviora, Non Pisonum sed pistorum. — Inde autem, quod breviter comprehenduntur eiusmodi definitiones, interdum exoritur quaedam dicendi insolentia. IX, 3, 78. *διοιόπτωτον* est tantum casu simile, etiamsi dissimilia sint, quae declinentur, nec tantum in fine deprehenditur, sed respondet vel primis inter se vel mediis vel extremis, vel etiam permutatis his, ut media primis et summa mediis accommodentur, et quoconque modo accommodari potest.

Non minus autem, quam substantiva, desiderantur interdum pronomina. VI, 3, 112. haec, quae movebant (sc. me). I, 7, 10. K in nullis verbis utendum puto, nisi quae significat (i. e. in iis, quae). — Deinde idem pronomen, spectans ad duo verba diversi generis, et nominativi vim habet et accusativi. VI, 3, 109. quod *ἀποφθεγματίζων* vocant et est. XI, 1, 36. Est, quod principes deceat, aliis non concesseris. — Saepissime vero verba subaudiuntur, cum alia tum ea, quae frequenter in dicendo adhibentur, quorum in numero sunt esse, si vim habet copulandi, fieri, licere, dicere, valere et quae sunt cetera. XI, 3, 3. cum haec omnia fecerimus, felices tamen (sc. simus), si nostrum illum ignem iudex conceperit. V, 4, 1. Sicut in tormentis quoque (sc. fieri solet.) V, 10, 88. Si adulterum occidere licet, et loris caedere; si furem nocturnum, — quid latronem? V, 4, 1. Quid attinet de his plura. V, 10, 26. His contraria in diversum (sc. valent). X, 2, 24. Omnium perfectissimus Graecorum De-

mosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alii: plurima ille. cf. X, 3, 25. VI, 1, 4. VIII, 5, 33. Ad quam usque nos vocatis vetustatem? Nam si ad illam extremam, multa Demosthenes, quae ante eum nemo. IX, 3, 87. Olim plura de figuris, quam necesse erat. X, 1, 38. quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt et Graecos omnes et philosophos (sc. persequamur). — Proxime huc accedit zeugma, quod dicitur. III, 1, 12. Cicero in Bruto negat ante Periclem scriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat; eius aliqua ferri. VIII, 4, 2. Nam et impudicam meretricem vocavit; et eum, cui longus cum illa fuerat usus, liberius salutasse. — Denique huc referri potest usus particulae ut, comparationi cuidam inservientis, ita tamen, ut simul ratio subiiciatur eorum, quae exponuntur. IX, 4, 32. Haec arbitror, ut in brevi, de ordine fuisse dicenda. XI, 1, 56. plures in schola finguntur affectus, quos, non ut advocati sed ut passi, subimus.

Sequitur alterum genus, quod pertinet ad integras sententias, quae aut abrupta oratione proferuntur, aut omnino desiderantur. V, 12, 6. Quaedam argumenta ponere satis non est; adiuvanda sunt, ut: cupiditas causa sceleris fuit; quae sit vis eius: ira, quantum efficiat in animis hominum talis affectio. X, 3, 2. profectus non a summo petitus, studiorum fructus et fundit uberior et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia (sc. ex alto fundamento profectum esse petitum) ipsa illa ex tempore dicendi facultas in anem modo loquacitatem dabit. cf. X, 2, 25. X, 1, 123. IX, 3, 9. In Satura (sc. est figura) „Et nostrum istud vivere triste Asperi,” cum infinito verbo sit usus pro appellatione: nostram enim vitam vult intelligi. — Quo loco cum antea de figuris disputavit Fabius, quae fiunt circa genus et numerum, subito affert exemplum figurae, quae fit partibus orationis mutandis. Tantum vero abest, ut novam speciem sequi moneat, ut respiciat ad Persium, quasi iam mentio eius esset facta, etsi neque in prioribus commemoratur, neque in sequentibus. IX, 3, 79—80. Eius (sc. figurae, quae dicitur δημοιόπτωτον) fere videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt: ut (hic) praesidio, solatio. Et ut paene similia sint verbis, et paribus cadant et eodem modo desinant (sc. ad δημοιόπτωτον necessarium est). X, 1, 37. Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendō indicemus, qui sint (sc. quos maxime legendos censem auctores), quae in quoque auctore praecipua virtus. V, 7, 13. explorandum igitur, quas causas laedendi adversarium afferant (sc. testes): nec id sat est, inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari velint, ne corrupti sint, ne poenitentia propositum mutaverint. VI, 1, 46—47. Non autem commovere tantum miserationem, sed etiam discutere epilogi est proprium, cum oratione continua, tum — urbane dictis, quale est: Date puerō panem, ne ploret; et (sc. quod dictum aliquando est) corpulento litigatori, cuius adversarius, item puer, circa iudices erat ab advocate latus, Quid faciam? ego te baiulare non possum.

Praecipue ad sententiam ita suppressam respicit particula nam. II, 11, 7. Magnas tamen sententias et res bonas, ita enim gloriari solent, elidunt: nam et barbari et

servi: et si hoc sat est, nulla est ratio dicendi. X, 1, 11—12. alia, quae etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικῶς quasi tamen ad eundem intellectum ferruntur, ut ferrum et mucro (sc. neque id mirum). Nam per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui caudem telo quocunque commiserint. II, 20, 10. At prooemium aliquando et narrationem dicet malus homo et argumentum sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam et latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo.

Fieri denique non potest, quin ex hac orationis contrahendae ratione durities quaedam interdum nascatur, quam interpretes quidem conjecturis removere conantur, quae tamen ad universam Fabiani sermonis naturam respicientibus non est admirabilis. Ita XI, 1, 71. Haec est profecto ratio — ut, cum aliquid detrahere salva gratia velis, concedas alia omnia; in hoc solo vel minus peritum, quam in ceteris, adiecta, si poterit fieri, etiam causa, cur id ita sit. V, 7, 25. Verum interim et singulos (sc. testes) ut exornare, ita destruere contingit aut recitatis in actione aut nominatis testibus. — Qui locus corruptus videtur Spaldingio, post vocem recitatis excidisse testationibus suspicanti. Neque enim differre ablativos recitatis et nominatis, deinde nihil esse, quod ponatur ablativus pro accusativo, ad singulos, quod praecedat, referendo. Quae rationes etsi probabiles sunt, nihil tamen mutandum videatur. Nam praeterquam quod codices non dissentunt, lectio vulgata brevitatis studio si non defenditur tamen excusat. Ad ablativos vero quod pertinet, similis insolentia est I, 2, 1. Igitur nato filio, pater spem de illo primum quam optimam capiat. — Quod exemplum sufficiat: nam aliorum, quae possunt afferri, si non eadem tamen similis est ratio. Hoc vero adiiciendum esse videtur, Quintiliani orationem, etsi interdum sit abrupta et confragosa, universe tamen ita esse compositam, ut praestet aequabili gravitate et elegantia et perspicuitate. Haec, quae est summa virtus orationis, brevitatis studio non impeditur, sed per universum Fabii opus dominatur. Res enim, licet in quibusdam partibus adeo coarctentur, ut plus semel existat obscuritas vel ambiguitas, in universum tamen tam acute distinguuntur et tam apte declarantur, ut omnino luce non careant.